



Prot. N. 853/22/I

## DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.da Maria Iosephina Leo, Superiorissa Generali Congregationis Sororum Discipularum a Iesu Eucharistico, una cum Exc.mo Ioanne Intini, Episcopo Tricaricensi, in centesimo eiusdem Congregationis anniversario, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a sororibus omnibusque christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die IV Octobris MMXXII usque ad diem IV Octobris MMXXIII lucrādām, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Cathedralem Assumptionis Beatae Mariae Virginis ecclesiam vel quodlibet templum a Congregatione Sororum Discipularum a Iesu Eucharistico iam determinatum in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Venerabilis Fundatoris Raphaëlis Delle Nocche exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis et Venerabilis Raphaëlis Delle Nocche.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebant.

Praesenti per Sororum Discipularum a Iesu Eucharistico iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.  
Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die IV mensis Octobris, anno Dominicae Incarnationis MMXXII.

*Francesco Card. Giacconi  
Paenitentiarius maior*

*Christopherus Nybel  
Reparus*